

3

DE ECCLESIASTICA, ET POLITICA POTESTATE.

Liber unus.

ARGUMENTVM.

1. *Iurisdictio Ecclesiastica primario ac essentialiter Ecclesia; Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis ministerialiter tantum, sicut facultas videndi oculo conuenit.*
2. *Christus immediate, & per se clares siue iurisdictionem ordini hierarchico consulit per immediatam & realem missionem omnium Apostolorum atque discipulorum,*
3. *Ecclesiae definitio, per causas essentiales.*
4. *D. Petrus est solummodo dispensator & caput ministeriale: Christus autem, Dominus absolutus, fundator, caput, & fundamentum esse entiale Ecclesia: unde argumenta, que ducuntur à capite ministeriali ad esse entiale caput, fallunt à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter.*
5. *In Ecclesia, status à regimine distinguitur: nam status monarchicus est ad unitatem atq[ue] ordinem vindicandum, necnon ad efficacem executionem canonum: regimen vero aristocraticum propter salutare consilium, infallibilem prouidentiam, & constitutiones canonum: Ecclesia enim canone, non absoluta potestate regitur.*
6. *Infallibilis potestas decernendi aut constituendi*

canones, toti Ecclesia, qua est columnæ & firmamentum veritatis, non vni & soli Petro competit: idque praxi Ecclesia comprobatur.

7. *Explicatio huius textus Euangelii, Simon, ecce Sathanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum, Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, &c.*
8. *Frequens celebratio conciliorum est simpliciter & absolute necessaria ad Ecclesiam melius sanctiusque regendam: & quo in casu bullæ, ac decretales summorum Pontificum obligent.*
9. *Quousque plenitudo potestatis Papa se extendat, & quo in casu de canonibus conciliorum dispensare valeat.*
10. *Quanquam Ecclesia vni: um habeat caput essentiale, nihilominus in ratione exercitii, atque executionis regimini, à Papa & à Principe politico differenter gubernatur.*
11. *Cum Ecclesia neque territorium, neque ius gladii habeat à Christo, & ad finem supernaturalem spiritualem tantum instituta sit, de mediis necessariis ad beatitudinem suam tentum & directum, non coactum pœnas temporales irrogando, disiudicat.*
12. *Princeps politicus, vt Dominus reipub. ac territorii, vindicta est atque protector legis diuina, naturalis & canonice: Quare in eum finem leges figere & gladium disstringere potest.*
13. *Princeps politicus non Ecclesia protector & vindicta canonum, iudex est legitimus appellationum quas ab abusu vocant: & hinc Ecclesia Gallicana libertates originem sumperunt.*

14. *Confutatio argumentorum, quibus absolute potestas Romano Pontifici tribuitur.*
15. *In Concilio generali congregato, Papa habetur caput, quo ad verbi diuini predicationem, administrationem sacramentorum, & executionem canonum: minimè vero quoad directionem, & potestatem coercitiuam in totum concilium.*
16. *Explicatio huins canonis, Nemo iudicabit primam sedem.*
17. *Causa finalis Ecclesia, qua est vita eterna per bonum regimen, demonstrat Petrum esse per & propter Ecclesiam, sicut oculus per & propter bosminem.*
18. *Quid sit Eccleiam habere potestatem indirectam in temporalia: & solutio argumentorum contrariorum.*





DE ECCLESIASTICA,
ET POLITICA
POTESTATE.

Liber unus.

¶ **V**ULGARE est, atque indubitatæ fidei axioma, Deum & naturam, prius atque immediatus ad totum suppositum, quam ad aliquam partem suppositi, quamvis nobilissimam, intendere: eamque ob causam, facultatem videndi, exempli gratia, toti datam esse homini, ut per oculum, tanquam per organum & ministerium hominis exerceretur: nam oculus per & propter hominem existit, Schola Parisiensis hoc infallibiliter unita firmamento, congruenter ad mentem omnium antiquiorum doctorum Ecclesiarum, perpetuo constanterque docuit, Christum fundando Ecclesiam, prius, immediatus, atque essentialius, claves, sive iurisdictionem, toti dedisse Ecclesie quam Petro: seu quod eodem redit, *Clavis toti contulisse Ecclesie*, ut per unum ministerialiter exercearentur. Quandoquidem, tota iurisdictione Ecclesiastica, proprio, proprie, ac essentialiter Ecclesiarum convenit: Romano autem Pontifici, atque aliis Episcopis, instrumentaliter, ministerialiter, & quo ad executionem tantum, sicut facultas videndi oculo. *Nemo itaque gloriatur in hominibus omnia enim vestra sunt*, id est, Ecclesiarum, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas, sive mundus, si-

ne vita, siue presentia, siue futura: omnia enim sunt Ecclesia: Ecclesia autem Christi, Christus autem Dei i. Corinthiorum 3.

2. Enim uero, cum Dominus noster cap. 16. Matthœi, verbo futuri temporis claves nomine totius Ecclesiaz B. Petro sic despondisset: *& ego tibi dabo claves Regni calorum, &c.* tum demum eas auctu, ordini hierarchio confert, primum Matthæi 18. vbi Ecclesiam sibi sufficientem & architectonicen ita constituit, *dic Ecclesia, &c.* secundo, per realem missionem: *Designauit Dominus & alios LXXII. & misit illos binos ante faciem suam, in omnem ciuitatem & locum quo erat ipse venturus* Lucæ 10. Similiter Ioannis 17. vers 18 vbi paulo ante, vel statim post sacræ cœnæ celebrationem patrem suum pro Ecclesia sponsa hoc modo exorat. *Sicut me misisti in mundum, ita & ego eos misi in mundum, & pro eis sanctifico me ipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & Ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint ut credat mundus quia, tu me misisti, ut sint consummati in unum, &c.* Quibus verbis, liquido demonstratur, Christum, non tam uni & soli Petrum, quam unitati infallibilem clauium potestatem detulisse, ut D. Cyprianus, & Augustinus confirmant, 24. quæst. i. can. quodcumque can. loquitur, can. alienus. Addendum cap. 20. Ioannis vers. 21. *Sicut misit me Pater, & Ego mittos. Accipire Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Quando igitur missio vera & realis est collatio iurisdictionis,

auctore Apostolo 10. ad Romanos, quomodo
 predicabunt nisi mittantur? Christus autem, o-
 mnes Apostolos atque discipulos, qui Episco-
 palem & presbyteralem ordinem referebant, im-
 mediate, individue, & collective misit, sicut à
 Patre suo, id est, cum iusta, & spirituali autho-
 ritate ad Ecclesiam regendam necessaria, mis-
 sus fuerat: Consurgit, totum ordinem hierar-
 chicum, Episcopali, & Sacerdotali ordine con-
 stantem, immediate, proportionate tamen at-
 que subordinate, suam potestatem & iurisdi-
 ctionem, hoc est, facultatem regendi Ecclesiam,
 à Christo deriuare: quemadmodum in Galliis,
 inferiores iudices ac Magistratus, quanquam
 subditi Parlamentis, æque tamen immediate
 auctoritatem suam à rege Christianissimo mu-
 tuantur, quam ipsa Parlamenta: nam quæ sunt, à
 Deo ordinata sunt, Romanorum 13. nequaquam
 vero ordinata forent, nisi aliqua, & inter ipsos
 Magistratus, & inter Ecclesiasticos, subordina-
 tio decurret. Adiunge D. Pauli testimonium
 Act. 20. Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo
 vos S. Spiritus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei.
 Quam doctrinam, D. Bernhard. lib. 3. de Consi-
 deratione ad Eugenium ca. 10. mirum in modū
 illustrat: Erras, inquit, si vt summā, ita & solam in-
 stitutam à Deo vestrā Apostolicam potestatem existi-
 mas: si hoc sentis, dissentis ab eo qui ait, non est pote-
 stas nisi à Deo: proinde quod sequitur, qui pote-
 Roman. 13. stat resistsit, Dei ordinationi resistsit, et si principali-
 ter pro te facit, non tamen singulariter. Denique
 idem ait, omnis anima potestatibus sublimioribus
 subdi-

subdita sit: non ait sublimiori tanquam in uno, sed
 sublimioribus tanquam in multis. Non ergo tua sola
 potestas à Domino, sunt mediocres, sunt & inferiores:
 Et quomodo quos Deus coniunxit, non sunt separan-
 di, sic nec quos subiunxit comparandi. Monstrum fa-
 cis, si manu submouens digitum, facis pendere de ce-
 pite, superiore menu, brachio collateralem. Tale est,
 si in Christi corpore, membra aliter locas, quam di-
 sposuit ipse, qui posuit in Ecclesia quosdam quidem A-
 postolos, quosdam Prophetas, alios vero Evangelistas,
 Pastores, & alios Doctores, ad consummationem san-
 ctorum: in opus ministerij, in edificationem corporis
 Christi: Lector diligens videat integrum caput.
 Quod si forte reclament, hanc potestatem, quā
 Christus immediata missione cōcessit discipu-
 lis, nō tam spectare ad iurisdictionem exterio-
 ris, quam interioris fori: Opponens, cuicunque
 Patres antiquos Ecclesiae, id absolute interpre-
 tari, de quacunque potestate, ad Ecclesiam re-
 gendam necessaria, tam in interiore, quā in ex-
 teriore foro: atque illis multo magis habendam
 esse fidem, quam istiusmodi argutis recentiorū
 distinctionibus, quas de industria meditantur,
 ut sua priuilegia, & extraordinarias missiones,
 in iuris communis perniciem, facilius tuean-
 tur, ac dilatent. Adde quod, summa totius ex-
 ternae iurisdictionis, in facultate excommuni-
 candi conquiescit: quamquidē immediate cre-
 ditam fuisse Ecclesiae à Christo, demonstrabi-
 tur n.6. Forsan causabuntur, potestatem iuri-
 dictionis, primitus quidem institutam & col-
 latam Ecclesie à Christo, sed ea lege, ut postmo-

dum per Romanos Pontifices, Petri successores, propagaretur, atque aliis Episcopis communicaretur: eamque ob causam, omnem auctoritatem isthinc hodi repeti ac deriuari. Respondebis, praxi Ecclesiae primiū, & sacris canonibus, exploratissimum esse, collationes beneficiorum, sicut nunc eas vocitant, quadringentis & mille annis, communione, hoc est sacrosanctis electionibus, factas; ratio est quoniam omnis principatus, quo ad vim coactuam, ab hominum consensu penderet, ut lex diuina & naturalis confirmant: quas aduersum, neque spatia temporum, neque priuilegia locorum, neque dignitates personarum, unquam praescribere poterunt. Hoc iacto & premesso fundamento, sequentia principia directe & necessario colligimus.

3. Primum, Ecclesie definitionem reserabit: *Ecclesia est politia monarchica, ad finem supernaturalem spiritualem instituta, regimine aristocratico, quod omnium optimum, & naturae conuenientissimum est, temperata a summo animarum pastore Domino nostro: qui Rex est, monarcha, Dominus absolutus, fundator, petra, & caput esse entiale Ecclesiae, ab absolutum, siue pure monarchicum in eam habet imperium: cumq; sua omnipotentia, & virtute infinita, absq; crucis scandalo homines saluare potuisset, nihilominus, ut potentia, fastu, superbiam, & sapientiam mundi confunderet, ac destrueret, suosq; ministros humilime de se sentire doceret, per stultitiam prædicationis, de qua numero xi. disputabitur, saluare voluit*

voluit credentes, ne in eis conspectu, gloriaretur omnis caro: primę Corinthiorum 1. Istinc vero inducimus, hunc fidei articulum, *Credo vnam sanctam Ecclesiam Catholicam*, esse veritatis sempiternę, propterea quod, lege euangelica stante, Christus diuortium cum Ecclesia sponsa facere non potest: quod de symbolico & ministeriali capite Romano Pontifice, afferi non debet, quę saltē ad tempus, adesse & abesse videmus sine Ecclesiæ interitu: nam compertū est, sedem Apostolicam aliquando tres, aliquando septem annos vacasse: siquidem, præceptum de habendo Pontifice, affirmatiuum, nō negatiuum est.

4. Secundum principium, docet D. Petrum esse tantummodo dispensatorem & caput ministeriale, non dominum aut fundatorem Ecclesiæ: hoc enim vni, & soli Christo, capiti essentiali, per quem & propter quem substat Ecclesia, competit: qua de causa, Petrum sic alloquentur Matthæi 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam: & porta inferi non præualebunt aduersus eam: audis?* non dicit tuam Ecclesiam, aut portæ inferi non præualebunt aduersum te. Similiter Iohannis 21. *Pascœ oues meas, pascœ agnos meos:* non dicit tuas oues, aut tuos agnos; vt ostenderet, Ecclesiasticos ad puram dispensationem aut administrationem, non ad aliquem dominatum temporalem, aut principatum mere & absolute monarchicum, vocari. Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic, Lucæ 22. & 1. Petri 5. *Pascite qui in vobis est gregem Dei, prouidentes non coacte, sed spontaneo-*

secun-

*secundum Deum: neque dominantes in cleris: sed forma, aut exemplum facti gregis ex animo. Quos scripturæ locos, D. Bernhardus 2. ad Eugenium capite 5. ita explicat: I ergo & tu, & tibi usurpare aude, aut dominans apostolatum, aut apostolicus dominatum. Plane ab alterutro prohiberis, si utrumque simul habere voles, perdes utrumque: forma Apostolica hac est, dominatio interdicitur, indicatur ministratio, qua commendatur exemplo legislatoris: Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat, &c. Qua epanorthosi, D. Petrus, & Bernhardus, specimen regiminis aristocratici, quod numero 5. 6. & 8. describetur, nobis ponunt ante oculos. Non me latet, recentiores, ut sua priuilegia expeditius propugnant, obtendere Dominum hac voce *Pasce oves meas*, vni & soli Petro totam detulisse iurisdictionem ecclesiasticā, quo eam deinceps, pro animi sui arbitrio, quibuscumq; vellet dispartiretur. At sacræ scripturæ oraculis, omnium antiquorum doctorum monumentis, nec non etiam ipsa praxi veteris ecclesiæ tam plane atq; aperte cōfutantur, ut mirum sit illos tam absurdâ cōminisci audere. Siquidem, diuinum hoc proloquium, *Pasce oves meas*, &c. primam ac plenam facultatem exequendi aut dispensandi legem diuinam, naturalem, & canonicam B. Petro capituli ministeriali confert, iuxta regulas temperamenti aristocratici: de quo consule numerum 9. Quibus ita positis, facilis remanet solutio istorum & similium argumentorum: Petrus est petra, fundamentum, & caput Ecclesiæ: Ergo absque*

que illoruit Ecclesia: vel corpus sine capite, ri-
vus sine fonte, radius sine sole, palmes sine sti-
pite, ramus à truncō abscissus perit, & ardet: I-
gitur etiam Ecclesia nequit subsistere sine Pa-
pa. Quasi vero, Romanus Pontifex essentiale &
primarium, non secundarium, & ministeriale
caput Ecclesiæ esset: vnde præceptum habendi
Pontificis, ad semper non pro semper obligat,
vt loquuntur Scholastici.

5. Tertium principium, statum Ecclesiæ ab
eiusdem regimine distinguit: status enim mo-
narchicus est, cum ad unitatem atque ordinem
vindicandum, cum ad exequutionem canonū,
quæ Romano Pontifici, velut capiti ministe-
riali congruit: regimen vero aristocraticum,
propter solidam prouidétiam, efficax consiliū,
& constitutiones eorundem canonum: quam
ob causam numero 1. diximus, Claves toti datae
fuisse Ecclesiæ, vt per unum exercentur. Enim-
vero, canone aut consilio Ecclesiam sponsam
gubernari voluit Dominus, quo Romani Pon-
tifices, atque alii Episcopi, nihil quicquam ma-
gni momenti de proprio motu, aut oligarchici
concilii suasione decernerent, sed aristocrati-
cum Ecclesiæ concilium, frequenter cogerent,
ac consulerent: Ideoque ab antiquis Patribus
sanctum legimus, vt singulis annis prouin-
cialia concilia bis conuocarentur. Quæ autem
est ratio œcumenici concilii ad Romanum
Pontificem, eadem quoque & synodorum
particularium ad suos Episcopos: quoniam
particulares Ecclesias itidem canone, non

absoluta potestate, à propriis Episcopis gubernari oportet. Porro, senatum aut concilium nationum Ecclesiæ à Domino institutum, vocamus, non modo Episcopos, verum etiam omnes presbyteros, curam animarum habentes: quorum illi Apostolis: hi vero lxxxi. discipulis successerunt, distin. 68. can. Chæreepiscopi: 16. quest. 1. can. Ecclesia: & distin. 23. can. presbyter: Etenim, quandam presbyteri Ecclesiam in commune regebant, ut D. Hieronymus auctor est, can. legimus dist. 93.

6. Quartum, infallibilem potestatem discernendi, aut condendi canones, esse penes totam Ecclesiam, aut generale concilium, illam repræsentans: qua in re, natura regiminis aristocratici potissimum consistit: ac partim diuino, partim naturali lumine demonstratur. Quandoquidem, oculi, quam unicus oculus, longius atque acrius prospiciunt: ac nemini vanity, ne superbiret, à Deo vel à natura datum est, ut sapiat: Deinde, corpus Ecclesiæ non est unum membrum, sed multa: si totum corpus oculus, ubi auditus? primæ Corinthior. 12. & 14. versic. 32: Spiritus Prophetarum, Prophetis, id est, Ecclesiæ, subiectus est. Etenim, Episcopatus unus est, cuius à singulis in solidum pars tenetur, 24. quest. 1. can. loquitur. Itaque, quod omnes tangit, necesse est ab omnibus quoque comprobari: compræsertim, enim Pontifex ex hominibus assumptus, circumdatus sit infirmitate: ac proinde fallere & falli potest, nisi Ecclesiam columnam firmamentum veritatis, i. ad Timoth. 3. in concilium adhibeat

hibeat. Quapropter Ecclesiæ, non vni & soli Petro, Dominus in cœlum ascensurus spiritum veritatis pollicetur, Iohannis 14. versic. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis.* Item Matthæi 18. Ecclesiam sibi ipsi sufficientem & architectonicen, infallibilis tribunalis erectione constituit: cum B. Petrum rescire gestientem, quoties fratri suo peccanti indulgeret, in hunc modum informat: *Si peccauerit in te frater tuus, vade corripe eum inter te & ipsum solum &c.* Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus: *Amen dico vobis. quicumque allegaueritis super terram, erunt ligata & in cœlo, &c.* Iterum, dico vobis, quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcumque petierint, flet illis à Patre meo qui in cœlis est, vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Quo ex proloquio discimus, Christum immediate concessisse ordini hierarchico, quem hic nomine Ecclesiæ designat, facultatem excommunicandi: nam, licet denarius numerus, eminenter à causaliter omnes capit numeros, sic formula hæc, *dic Ecclesiæ, eminenter inquam & causaliter, plenitudinem potestatis Ecclesiastice,* cum omni superiori Ecclesiastico, aliqua iurisdictione prædicto, complectitur, siue sit Cunctio, Episcopus, Papa, aut Concilium generale, in quod omnes controversiæ, tanquam in ultimum atque infallibile tribunal, omnem potestatis plenitudinem continet, resoluantur.

Paret,

Pater, quoniam statim atq; Dominus hoc pro-tulit oraculum, *dic Ecclesiae: continuo pluraliter subiungit, Amen dico vobis, quecunque alligaueri-tis super terram, &c.* Vnde liquido apparet, ibi formaliter & proprie non agi de Ecclesia pro-vnico homine, sed pro pluribus vna congregatis: quo circa eodem filo orationis, Dominus imparitur Ecclesiæ facultatem sese congregandi in concilium, atque infallibiliter decernendi: Iterum *dico vobis, quia si duo ex vobis consense-rint super terram, &c.* *vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Neque silentio præterire opus est, Christum in hoc texu, consilium aristocraticum diuini-tus, non oligarchicum humanitus institutum, designare: numerumque certum pro incerto, ac minimum numerorum ideo expressissime, quo omnem tergiuersandi occasione litigiosis ho-minibus eriperet: ostenderetque ad iustum Ec-clesiaz moderationem, non vnius tantum Ro-mani Pontificis, sed trium aut duorum ad mi-nus consensum & concordiam requiri. Profe-cto, quamcunq; in partem se conuerterint ad-uersarij fateantur oportet, hæc verba; *vbi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo,* Et. ab-solutam, atque infallibilem vnius Papæ au-to-ritatem necessario excludere: ac demonstrare, Ecclesiam inuitam, dissentientē, aut inconsul-tam obligari non posse: quod vsquequaq; legi naturali cōgruit, & praxi veteris Ecclesiaz abun-de confirmatur: Nam Hierosolymitanum cō-cilium, omnium apostolorum & presbyterorū consen-

Consensione ac suffragiis ita concluditur Acto-
rum 15. *Vixum est Spiritui sancto & nobis, Deinde,* Partes Ecclesiae Africanæ, quos inter D. e-
rat Augustinus, Cælestino I. Romano Pontifi-
ci scribunt, *Non esse credibile, Deum unius cultu-*
bus inspirare examinis iustitiam, & innumerabi-
libus congregatis in concilium illam denegare. Fa-
cit ad huius doctrinæ commendationem, Zo-
zimi Papæ sententia, qui se aperte inferiorem
concilio faceret, dum Galliæ Episcopis respon-
det, sedis Apostolicæ auctoritatem, sacris con-
ciliorum sanctionibus derogate non posse, 25.
quæst. i. can. *Contra statuta Patrum, condere ali-*
quid vel mutare nec huic quidem sedis potest au-
toritas: apud nos enim inconnulsis radicibus vivit
antiquitas, cui decreta Patrum sanxere reveren-
tiam. Isthuc similiter accurrit, magni Gregorij
respōsum, qui se quatuor Concilia generalia ve-
nerari facetur, sicut quatuor libros sancti Euāge-
lii: quia dum vniuersali sunt consensu constituta,
se & non illa destruit, quisquis presumit aut solue-
re quos religant, aut ligare quos soluunt, dist. 15.
can: sicut sancti Euangelij. Certè, qui acta con-
ciliorum generaliū reuoluerit, facile videbit,
vnum solum Pontificē Romanum in synodis
generalibus, decreta fidei catholicæ nō facete,
sed indulxione, & consensu omnium Ecclesia-
rum particularium inito, illa vniuersim infer-
re ac concludere. Quæ certissima atq; eviden-
tissima est regiminis aristocratici demonstratio:
& confirmatur can. maiores 24. quæst. i. 7. Sed
forte quispiam arguet, Christum Lucæ 22. ro-

gasse pro Petro ne eius fides deficeret : eique
 insuper præcepisse, ut fratres suos confirmaret.
 Respondeatur ad primum, hanc Christi pollici-
 tationem, iuxta sensum literalem scripturæ, ad
 solum tempus dominicæ passionis extédi, quo
 scandalum crucis in vniuersos Domini disci-
 pulos, maximè vero in Beatum Petrum, qui ter
 magistrum suum negauit, erat debacchaturū:
 Vnde Matthæi 26. Dominus discipulos in hūc
 modum affatur : *Omnis vos scandalum patiem-
 ni in me in ista nocte: scriptum est enim percutiam
 pastorem & dispergentur oves gregis :* Respondens
 autem Petrus ait illi: & si omnes scandalizari fue-
 rint in te, Ego nunquam scandalizabor: Ait illi Ie-
 sus, Amen dico tibi, quia in hac nocte, an: equam
 gallus cantet, ter me negabis. Præterea Lucæ 22.
 Simon, ecce Sarthanas expeririuit vos ut cribraret
 sicut triticum: Ego autem rogaui pro te, ut non de-
 ficiat fides tua: & tu aliquando conuersus confir-
 ma fratres tuos. Vbi attendere oportet, Christū
 non dixisse Petro, Ego rogaui pro te ne vñquā
 erres, aut ut sis infallibilis: sed tantum, Ego ro-
 gaui pro te, ut non deficiat fides tua: & Petrum
 errasse quidem, eius vero fidem nequaquam
 defecisse quo ad habitum, sed quo ad actum:
 nam ore non corde Dominum negavit. At se-
 cundum qui antecedentia & consequentia hu-
 ius textus considerate examinari, prima fron-
 te videbit, D. Petrum, postquam ex tituba-
 tione trinæ negationis, quasi ex grauissimo
 sopore emersit, multo magis idoneum fuil-
 se, tum ad suos collegas fluctuantes confir-
 man-

mandos, tum ad fratres dispersos in Ecclesiam
reuoandos, vt ibidem resurrectionem Domi-
ni preſtolarentur. Quamobrem, hoc argumen-
tum, fallit à dicto secundum quid, ad dictum
simpliciter: quia istud privilegium, ſoli Petro,
ob imminens scandalum crucis; factum eſt.
Hercle, si ſolus Papa, non Ecclesia collective
ſumpta eſt infallibilis: insurgit Paulum grauiſ-
ſime peccasse, Galatatum 2. cū demonstrat Pe-
trum ideo fulle reprehendibilem, quo ad veri-
tatem euangeliū minime ambularet: quæ verba
valde notanda ſunt. Porro, iſthæc reprehensio,
appellationi ad concilium æquipollet, vt Can-
cellarius Patiſensis obſeruat: ratio eſt, quia ſi
D.Petrus tam temporis B.Paulo recte moneti
obſtitueret, non dubiu eſt, quin Ecclesia in con-
cilium congregata, diſſidium inter illos subor-
tum diremifſet: vt paulo ante controverſiam
ſuper obſeruatione legalium deciderat, Act.15.
Hic pro appendicula & ampliatione fauorum
ad neceſſere lubet, D.Petrum ſingulares personas
aut Ecclesiās diſgregatas, poſſe in fide, per ſacré
ſcripturæ aut canonum interpretationem, ro-
borare; hōcque ſenu, B.Hieronymum epiftola
ad Damasum PP. facultatem dicendarum aut
tacendarum hypostafcon, id eſt ſymboli Nicæ-
ni interpretationem, ab eodem Damaſo flagi-
tate: *A p aſt o r e*, inquit, *p r aſid i m ou i s flagito:*
d iſcerne ſi placet, n o n t i mebo t r e s h y poſtaſeſ di-
cere, ſi ſubebu: eadem quoque eſt ratio T heo-
doreti, & aliorum, qui ſanctam ſedem apo-

stolicam perfugio habuerunt.

3. Quintum principium indicat frequentem celebrationem synodorum, absolute & simpliciter necessariam ad Ecclesiam melius, sanctiusq; regendam: quia ut docet Aristoteles in politi-
cis, lege, quam absoluto vnius imperio, gubernari multo praestat: quoniam lex, instar Dei, a-
more, ira, odio, aliisque affectibus humanis ca-
ret: Vnde in actis conciliorum, huiusmodi for-
mulæ cœbro occurunt, *prater canonem, abs-*
que canone, contra canones, vel ex canone ali-
quid agere: quibus formulis declaratur, Eccle-
siam canone regi debere: & antiquitus nihil
quicquam absque concilio & moderatione ar-
tistocratica statutum fuisse. Hinc factum le-
gitimus, ut Galliarum Episcopi, Nicolao Papæ
Icripserint, decretales & bullas Romanorum
Pontificum, nequaquam obligare, nisi cano-
num disciplinis, & conciliis ante receptis at-
que approbatis, essent conformes: canone si
Romanorum, distinct. 9. quo similiter referri de-
bet canon Omnia, 25. quest. i. Consulendus Flo-
doardus, lib. 3. cap. 21. pag. 231. quem auctorem
Pater Simeonius societatis Iesu nuper publi-
ci iuris fecit. Quandoquidem Romanus Pon-
tifex, qui est caput ministeriale, vniuersalem
Ecclesiam, inconsultam, dissentientem, inui-
ciam, vel inauditam, obligare nequit: quia tum
leges instituuntur cum promulgantur, firmantur,
cum moribus videntur approbantur: teste Au-
gustino distinct. 4. can. in istis: & in hoc, Ec-
clesia catholica libertas, seu regimen aristot-

eraticum maxime versatur: atque expeditissima & suauissima est ratio schisinarum sarcendorum, ac impediendorum. Quo fultus principio Hincmarus archiepiscopus Rhemensis doctissimus, Hincmaro Laodunensi episcopo nepoti suo, respondet, decretales epistolas Pontificum, quas ante synodum Nicenam editas perhibent, exiguae esse fidei, propterea quod sanctis canonibus minime concordarent; videndus idem Flodoardus, libro tertio capite 22. fol. 243. verso, & fol. 244. recto. It hinc autem planè dignoscitur, quo iure maiores nostri Galli usi fuerint.

9. Sextum plenitudinem auctoritatis Pontificiae definit, primo ad Ecclesias particulares per mundum dispersas, sed nequaquam ad Ecclesiam vniuersalem in concilium congregatam: secundo, ad exequutionem, interpretationem, & dispensationem, minime vero ad institutionem canonum, nisi per se aut per legatos suos concilio praesideat, atque omnium Partium suffragia & consensum subducat, ut numero 6. docuimus. At eo solum in casu Papa de synodorum decretis dispensare potest, quo ipsummet concilium, si esset congregatum, dispensaret; idque Zozimi Papae sententia numero 6. laudata confirmat, & Leo primus, can. 2. priuilegia: *Dispensatio, inquit, nobis credita est, & ad nostrum tendit reatum, si paternarum regule sanctionum, nobis consentientibus, vel negligentibus violentur,* D. Bernardus, 3. ad Eugenium cap. 10. *Quid inquia, prohibes d'ispe-*

non sed dissipare: non sum tam rudis ut ignorem positos vos dispensatores sed in adificationem, non in destructionem. Denique queritur inter dispensatores ut fidelis quis inueniatur: ubi necessitas erget, excusabilis dispensatio est: Vbi necessitas prouocat, dispensatio laudabilis est, utilitas dico communis, non propria. Cæterum, in his duobus articulis, quos hoc proloquo complexi sumus, status monarchicus Ecclesiæ, siue plenitudo iurisdictionis papalis potissimum constitit: non autem in absoluta potestate, quam contra ius diuinum & naturale, plerique recentiores in Ecclesiam inuehere nituntur. Profecto octingentis atque amplius annis, hoc est ante imperij translationem ad Francos, Romani Pontifices sese tantummodo vltores siue exequatores canonum praedicabant: lapsu demum temporis, cum omnes Christianæ nationes summis ignorantiae tenebris consopita detinerentur, absoluam auctoritatem omnia determinandi collegerunt: præcipue à Gregorij VII. temporibus: cuius vitam ab Onuphrio scriptam, historiæ studiosi euoluent: prætereaque obseruabunt, Papam regulariter & ordinarie ius habere conuocandarum synodorum generalium, quatenus potestatem habet super Ecclesiæ particulares disgregatas per orbem terrarum.

Summa huius disputationis est, à statu monarchico Ecclesiæ, unitatem, ordinem, cum efficaci exequitione canonum, procedere: à regimine autem aristocratico, sanctissimum consi-

consilium, atque infallibilem prouidentiam & decisionem; quaenamidem, respublica Christiana in perpetuam ædificationem, & non in destructionem gubernatur.

10. Septimum, docet Ecclesiam sumptam pro cœtu fidelium, siue pro Christiana republica, vno & solo capite ac fundamento essentiali Christo Domino esse contentam: nihilominus, in ratione exercitij atque exequutionis regiminiis eiusdem Christianæ reipublicæ, à duobus, Pontifice scilicet, & politico Principe differenter gubernari, can. duo sunt, dist. 96. & can. Principes 23. quest. 5. Congruenter quidem ad præceptum Domini Matthæi 22. *'Reddite que sunt Casaris Casari: & qua Dei Deo.'* Hoc enim quasi mutuo obligationis & benevolentiæ vinculo, Ecclesiam cum politia seculari colligati voluit Dominus: ne Principes & Ecclesiastici inter se se digladiarentur. Quam salutarem distinctionem, qui ignorant, dissimulat, aut confundunt, in maximos & periculosissimos scopulos allidunt, atque Ecclesiasticos Principibus politicis suspectos reddunt, quasi novis rebus stuperent.

11. Sed de hac te amplius si placet disputemus: cum enim lex euangelica vitam æternam profine, atque animam humanam pro materia & subiecto nativo habeat: tota occupari debet in internis conscientiae motibus dirigendis, minime vero in manu aut vi externa cohబenda: ac proinde, iudicat de mediis necessariis ad beatitudinem conformiter ad causas et:

sentiales spirituales religionis Christianæ; hoc
 est, suasiue tantum & ditectiue, per verbi di-
 uini prædicationem, Sacramentorum dispen-
 sationem, & si res postulet, per exclusionem ab
 ecclesiastica communione, ope censutarum,
 id est armorum spiritualium Ecclesiæ, quæ o-
 lim, absque consilio & moderatione aristocra-
 tica presbyterij, de qua numero 5. disseguimus.
 nefas erat distingere: idque natura regiminiſ,
 aristocratici exegit: & à quo tempore fieri de-
 sit, magna Ecclesiastica disciplina confurba-
 tio subsequuta est, sicut omnes periti nosunt.
 Verum, hæc doctrina, partim Ecclesiæ defi-
 nitione numero 3. tradita, partim etiam multis
 evidentissimis scripturæ oraculis fulcitur. An-
 nō Dominus Ioannis 18. distincte Pontio Pila-
 to asseuerat, regnum suum non esse de hoc mun-
 do? & Lucæ 9. vulpes foueas & aves caeli nidos
 habere, filiam autem hominis non habere ubi ca-
 pui suum reclinet? Quod idem est ac si per-
 hiberet, Ecclesiam, neque territorium,
 neque ius gladij, carceris, aut alterius pœ-
 na corporalis diuinitus habere: anima e-
 nim, quæ proprium est subiectum legis euangeliæ,
 interno solum, non externo mouetur
 principio: atque ius gladij materialis, necessa-
 rio territorium, sicut effectus causam, seque-
 tur. Hinc euenit, vt Dominus cuidam de-
 turba, qui eum rogabat ut fratrem suum impel-
 let ad dividendam secum paternam hæreditatem,
 responderit, homo, quis me constituit iudi-
 cem⁹ agn⁹ dñis forem super vos? Lucæ 12. Quasi di-
 xis-

xisset, Ecclesiam quæ animas hominum non
 terrena imperia habet pro subiecto, de terre-
 nis hereditatibus ac possessionibus minime iu-
 dicare. Siquidem, in carne ambulantes, non secū-
 dum carnem militamus: nam arma militie nostra
 non carnalia sunt, sed potentia Deo, ad destruc-
 nem munitionum, consilia destruentes & omnem
 alitudinem exollentem se aduersus scientiam
 Dei, & in captivitatem redigentes omnem intelle-
 ctum in obsequium Christi. 2. Corinthior. 10. Vbi
 obsecrandum venit, corpora, materiali quidem
 gladio cogi atque occidi: intellectum vero, ne-
 quaquam in obsequium Christi captiuari: hoc
 enim solo doctrinæ & Sacramentorum pabu-
 lo consequimur. Accedit & cap. 3, ad Philip-
 penses vers. 20. vbi Apostolus perhibet, nostrum
 politeuma, id est Christianam gubernationem,
 totam esse in cœlis, unde Salvatorem Dominum
 nostrum Iesum Christum expectamus: idque ita
 esse voluit Dominus, ne Ecclesiastici, aut sacer-
 tis negotiis secularibus se se immisceret. Quid
 præterea D. Bernardum lib. 1. de consideratione
 cap. 6. commemorem? Nō monstrabunt puto in-
 quir, ubi aliquando quispiam apostolorum index
 federis hominum, aut divisor terminorum, aut di-
 stributor terrarum. Stetisse denique lego. Apostoles
 indicandos, sedisse indicantes non lego etc. Ergo
 in criminibus, non in possessionibus potestas ve-
 stra: quoniam propter illa, & non propter haec, ac-
 cepisti claves regni cœlorum: prevaricatores ut-
 que exclusi, non possessores. Quoniam tibi maior vi-
 datur dignitas, & potestas, dimittenda peccata, an-

*prædia diuidendi? sed non est comparatio. Ha-
bent hec infima & terrena indices suos. Reges &
Principes terræ: quid stnes alienos inuaditis?*

Contra hæc diuina otacula, meridiana qui-
dem luce clariora duo potissimum obliici video:
Primum, Ananiam cum Saphira uxore, morte
punitos foille à B. Petro, ob mendacium factum
Sancto Spiritui Auctorum 5. Deinde, Apo-
stolum primæ Corinthiorum 6. indicate Christia-
nos, quādiu sub ethnicis Principibus & magi-
stratibus degerunt, tibi ipsis iudices in caulis
ciuilibus diligere potuisse: Secularia igitur in-
dicia si haberitis, ait, contemptibiles qui sunt in
Ecclesia constituite ad indicandum. Respondeo,
illud eximium Petri facinus, miraculum, ex-
traordinariū, & sancti Spiritus afflitu factum: ac
proinde, ad ius ordinariū non spectare, niki-
loque magis trahi posse in argumentū, quā vel
caput primū Ieremiæ, *Ecce constitui te hodie su-
per gentes, & super regna, ut euellas, & distruas,
& disperdas.* &c. vel locū de duobus gladiis Lu-
cæ 22. quandoquidē, hæc allegorice & spiritua-
liter intelligenda sunt: ab allegorico autem &
mystico sensu, validum argumentum duci nō
posse, ipsi etiam pueri norunt. Neque est profe-
ctio, quod hæc D. Bernardi auctoritas cuiquam
religionem facessat, capite 4. libri 4. ad Euge-
nium, *Conuerte gladiū tuū in uaginā: Tuus ergo
& ipse: tuo forsitan natus, et si non tua manu, euagi-
nandus: uerque ergo Ecclesia & spiritualis scili-
cer gladius; & materialis: Sed is quidem pro Ec-
clesia, ille vero & ab Ecclesia exerendus est: illa
sacer-*

facerdotis militis manu, sed sane ad natū sacerdotis, & iussum Imperatoris. Hæc enim tantum declarant, Ecclesiā ius habere innocēdi id est docendi & suadendi, quando Princeps politicus gladio uti debat ad gloriā Dei: de qua re numero sequenti. Certe cum Ecclesiastici vitæ fætumonia splendereret, Principis Christiani, ut omnem iniustiæ suspicionem à suis inceptis & consiliis amolirentur, pace & bello, ecclesiasticorum consilio iute quidem vrebantur: Sed ab eo tempore id metito facere desierunt, quo Ecclesiastici in suspicionem afflatae monarchiæ temporalis venerunt, de qua Eugubinus, Bozzius, Carrerius, & ipsi Cardinales Bellatminus, atque Baronius libros operosissimè scripserūt. Quæ opinio si vera esset, tamen ratio & prudētia illos auctores docere debuerat, ut his infelicissimis temporibus sibi ab huiusmodi scriptione temperarent. Secundum argumentū, fallit ab ignorantie clenchi: et si enim testimonia sacræ scripturaræ paulo ante laudata, apertè conuincant Ecclesiā iure diuino territorium, ius gladij, & fori contentiosi, minime habere; attamē non negat, quin iure humano & ex principum cōcessione illud possidere quicat: locus autē Apostoli, non de diuino, sed de humano & arbitrio iure loquitur, pura quando ex mutua litigiorū cōsensione, arbitri cooptātur, qui dissidia & lites sine strepitu fore si amice dirimant: hoc n. omnes facile animaduertēt, qui cap. 6. primæ Corinthiorum considerate, & sine alio quam veritatis præiudicio legerint.

12. Iam ad ciuilem potestatem transeamus
 sane, cum Princeps politicus dominus sit rei-
 publicæ, atque territorij; vindicta ac protector
 legis diuinæ, naturalis, & canonicae, cāque de
 causa gladium portet, Roman.13. solus habet fa-
 cultatem cogendi, aut coercendi, interrogando
 pœnas corporales. Quapropter ad Ecclesiæ in-
 columitatem, & canonum ecclesiasticorum e-
 xecutionem, leges sancire, atque inter sua edi-
 etæ, codices, aut capitularia inserere potest: sicut
 de imperatoribus Constantino, Theodosio, Iu-
 stiniau, Carolo magno, B. Ludouico, Carolo
 v. Franciso i, aliisque Gallorum principibus
 exploratum habemus. Vnde Augustinus epist.
 48: ad Vincentium ait, *Reges terra Christo serui-
 re debore, etiam leges forendo pro Christo.*, iuxta
 Davidis oraculum, & nunc Reges intelligite, eru-
 dimini qui indicatis terram: seruite Domino in ti-
 more. Eusebius patiter, capit. 24. libri 4. de vita
 Constantini magni, narrat optimum Princi-
 pem sic Episcopos affari consueuisse, *Vos intra,
 ego autem extra Ecclesiam à Deo episcopus con-
 fluentis sum quasi diceret, Principibus Christia-
 nis ex proprio officio incumbere, ad diuini, na-
 turalis, & canonici iuris executionem leges
 sciscere, & si res postuleret (seruato temperamen-
 to parabolæ zizaniorum, Matthæi 13. id est pu-
 blica pace salua) gladium distingere: hoc enim
 D. Augustinus Epistola ad Vincentium memo-
 rata, liquido demonstrat. Quibus bene percep-
 sis, facile est videre; & quo sensu Opratus Mi-
 leuitanus afferat, *Ecclesiam esse in Republica:* hoc
 est,*

est, tanquam in alieno fredo, territorio, ac domino : & iure an iniuria olim Christiani Principes, Nicenam, Constantopolitanam, Ephesinam, Chalcedoneasem, atque alia concilia generalia coegerint, hoc enim ad legis diuinæ, naturalis, & canonice executionem spectat.

13 Hic pro corona & appendicula attextemus, nativas Ecclesiæ catholicæ libertates, siue ius commune à Deo & natura institutum, his octo proloquiis ac fundamentis, tam perspicue toborari, ut nemo in illud impingere possit, quin eadem opera, legem diuinam, naturalem, & canonicam labefactet. Hoc autem quoties accidit, toties Gallis iustum præbuit occasio nem prouocandi tanquam ab abusu: quarum appellationum, Princeps & Magistratus politicus, velut Ecclesiæ protector, & vindex canonum, summam habet moderationem: de solo enim abusu iudicat, idque ad executionem canonum pertinet. Verum, hæc ratio procedendi Gallorum, originem præbuit Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, ut eas vulgo nominant. Audio Hispanos, atque alias nationes Christianas, quando aliquid à Romana curia emanat, quod eorum moribus ac institutis aduersatur, intercedere consueisse, quo minus id executioni mandetur: Ex quo apparet, illos cum Gallis re ipsa conuenire forma tantum, & modo agendi hac in parte discrepare.

Confutatio contrarie opinionis.

14 Qui contrariam sententiam, id est absolu-

Iutam potestatem tuentur, primo statum Ecclesiæ cum iplius regimine confundunt: Enim uestro, quia Christus D. Petrum in Ecclesiæ pastorem ac vicarium suum adoptauit, Ioannis 21. idemque Dominus rex est & monarcha absolutus Ecclesiæ numero 3. Inde colligunt, absolutum siue puto monarchicum regnum, P. item Petro Christi vicario, congruere: & continuo, Romanum Pontificem non modo totam iurisdictionem ecclesiasticam, verum etiam auctoritatem quoque in temporalia, saltem indirecione, & in ordine ad spiritualia, ut illustrissimus Cardinalis Bellarminus docet, possidere.

Secundo inducunt, nulla omnino opus esse celebrationem conciliorum ad Ecclesiam melius sanctiusque gubernandam, cum Dominus uni & soli Petro infallibilem auctoritatem, cum potestate confirmandorum fratum, detulerit, *Lucæ 22.*

Tertio statuunt, si forte aliquando frequententur concilia, Ecclesiam in synodum congregata, nullum plane ius habere aliquid decernendi, secluso aut non consentiente Romano Pontifice.

Quarto, summum Pontificem, omnes canones vniuersalium conciliorum ad ecclesiasticam politiam spectantes, posse ex animi sui sententia antiquare, iusque omnino relaxare, & nouum condere.

Quinto, Papam, non modo habere auctoritatem supra particulares Ecclesias per mundum disgregatas, verum etiam supra vniuersale concilium:

cilium: eique nullo in casu subiici.

Quæ fundamenta, proclive est vnicuique, antecedentibus principiis bene perceptis, conuelere, eò enim omnia tendunt, ut Petro ministeriali capiti, eam adscribant potestatem, quæ vni & soli Christo Domino ac fundatori Ecclesiæ conuenit: quod est sophisticum, à dicto simpliciter ad dictum secundum quid. Annon obsecro longe diversa est Domini atque œconomi, id est Christi & Petri causa? nam Ecclesia per & propter Christum, Petrus autem per & propter Ecclesiam, sicut oculus per & propter hominem, subsistit.

Solutio secundi principij, ab iis peti debet, quæ num. 7. obseruauimus.

Tertium, quartum, & quintum, non sunt vnius assis: siquidem, fallunt à dicto simpliciter ad dictum secundum quid: quasi Petrus eamdem habeat potestatem in ecclesiam cum Christo. Proculdubio si verum amamus, omnibus hominibus est inditum à natura, ut liberi & beati esse velint, quis autem naturaliter beatus esse potest, absque libertate? At si infallibilitas decernendi in uno & solo habitat Pontifice, nullus in Ecclesiæ conuentibus libertatem ferendæ sententiæ obtinet, contra quam Dominum placuit, Matth. 18. qua de re, videndus numerus 6. Certe, si hæc sententia inualescat, sequitur Christum extrema quæq. passum, ut Ecclesiæ sponsam, id est vniuersos Christianos, despoticō Romani Pontificis imperio subderet: quod iuri diuino & naturali fuuditus repugnat.

15 Ceterum; quando ex omnibus argumentis aduersariorum, tria praetipue aliquid videntur habere: ponderis, illa enucleabimus: Primum est Petrum pastorem universalis Ecclesiae constitutum a Christo, Ioannis 21. *Paste oves meas:* hancque diuinam vocem, neque Apostolos, neque concilium generale excludi: omnes enim sunt oves Christi, proptereaque a D. Petro, Christi vicatio pasci debent. Respondetur, Christum illis verbis, non aliam dedit esse Petro potestatem quam ministerialem, ut numero 4.5. & 9. demonstrauimus: Officium vero ministri & dispensatoris esse, mandare executioni praecepta legis diuinæ, naturalis, & canonicae: sed ita regulas temperamenti aristocratici a Deo constituti: ac proinde, Petrum censeri pastorem, quoad exequationem canonum, vel bi divini prædicationem, & alia eiusmodi, quæ ab uno, quam ab Ecclesia congregata in consilium, melius perfici possunt.

Secundum argumentum est, Ecclesiam congregatam in concilium, unicam familiam, unicum ouile, unicum regnum, & corpus visibile Christi constituere: ac propterea unicum etiam necessario habere caput visibile Romanum Pontificem: at monstrum immane videretur, si unum atque idem corpus duo supra haberet capita, nempe Papam & concilium generale. Respondemus, Ecclesiam esse politiam monarchicam regimine aristocratico temperatam: inde autem sequi necessario, concilium, quo ad directionem regiminis, coercitionem, & potestatem

statem sanciendorum canonum , supremam habere auctoritatem: Petrum vero, quo ad executionem , atque exercitium, aut usum clavium erga Ecclesias particulares : vide numerum 4.5.6. & 9.

16 Tertio contendunt, cap.20.conciliij Romani, à ducentis octoginta Episcopis sub Sylvestro Papa constitutum fuisse, ut *Nemo primus sedem iustitiam temperare desiderantem iudicaret*: neque ab Augusto, neque ab omni clero, neque a regibus, neque à populo, index iudicabitur. Quam sententia Gratianus refert 9.q.3.ca.Nemo. Sed ut dicam quod sentio, qui ad hunc canonem attenderit, prima facie videbit, multo plus nocere quam fauete aduersariis: ratio est, quia sententia scholæ Parisiensis, quæ decretis synodi Constantiæsis, docet Papam eo tantum in casu iudicari posse à concilio, quo Ecclesiastis notorie scandalizat, estque incorrigibilis : verum, si iustitiam temperare desideret, à nemine quidem iudicandus est: cum iusto lex non sit posita: ipsi enim sibi perpetua lex est. Secundo, quamquam hic canon absolute statueret, attenuem nihil derogaret fidei decretorum conciliij Constantiæsis: quoniam factus est in synodo particulari, quæ de pastore universalis Ecclesiæ iudicare non debet, nisi forte se illius iudicio submittat, ut olim Sixtus iii. Papa, 2. quest.4. can.mandatis. Quare, hæc verba, neque ab omni clero , distributiue de aliqua Ecclesia, aut clero particuliari, non collectiue de generali concilio, cuiusmodi est Constantiense, aut Basile-

ense, intelligēda sunt. Tertio, qui versatus fuerit in lectione conciliorum, quamprimum animaduertet, multa in hoc canone inconcinna esse, quæ eum manifestæ irruptionis suspectum reddunt: etenim, illis temporibus Patres Ecclesiæ non tam elate loquebantur, neque persequiones eos de absoluta potestate cogitare pariebantur: deinde, quid opus erat mentionem facere Regum, cum nulli cum temporis Reges, sed tantum Romani Imperatores existerent? tu lector, adi Cardinalem Cusanum, libro 2. cap. 20. de concordantia catholica.

De reliquis autoritatibus quæ ex scriptis Romanorum Pontificum protrentur, & 9. quæst. 3. leguntur, non est magnopere laborandum: quia Ioannes Getz, atque alij doctores Parisiensis, uno verbo respondent, nemini in sua causa credendum, nisi conformiter ad legē diuinam, naturalem, & canonicam loquatur: iuri autem diuino & naturali repugnat, caput ministeriale imperium habere absolutum in Ecclesiam.

17. Evidem, finalis causa Ecclesiæ, quæ est *vita eterna per bonum regimen*, aperte demonstrat, Papam per & propter Ecclesiam, non contraria, Ecclesiastis per aut propter Papam existeret: proptereaque in ratione ecclesiastici regimini, Cepham, id est Petrum, Ecclesiæ subiici, tanquam oculum homini, primæ Corinthior.

3. *Nemo itaque glorietur in hominibus, omnia enim vestras sunt, id est Ecclesiæ, sive Paulus, sive Apollo,*

Apollo, sine Cephas, &c. Item 2. Corinthior. iij
Omnis potestas data est in edificationem, non in destructionem. Ex quo relinquitur, Ecclesia iure diuino & naturali, prouidere atque impedire posse, ne Papa in sui destructionem gubernet, quemadmodum Constantiensi concilio sessione 4. & 5. definitum fuit:

18 Demum, quod Ecclesiam indirecta polle-re auctoritate in temporalia praedican, verum est per modum doctrinæ, suasionis, directionis, & exclusionis à communione ecclesiastica: falsum autem per coactionem, aut Regum atque Principum depositionem, vt & 11. & 12. num: disputauimus. Quandoquidem Ecclesia neque territorium, neque usum habet gladij materialis. Qui ergo Reges aut Principes Christianos iuste ab Ecclesia abdicari contendunt, faciunt certe, ac si quis urgeret, Pædagogum, quoniam disciplinæ scholasticæ moderatur, discipulos suos, si forte aduersus disciplinam obdurellant, bonis paternis exhortare posse: quod illudit à dicto secundum quid ad dictum simpliciter: nam quæ unico, & peculiari sensu vera sunt, ad absolute & universalem sensum nequaquam torqueri debent, nisi forte à sophistis & circulatoribus. Quod si urgeant Ecclesiam esse sibi sufficientem & architectonicem: dices, hoc metiendum esse ex finibus, & terminis, unicuique rei prescriptis à natura: causas vero essentiales Ecclesiaz non pati, Ecclesiastici se sequi, aut seculatibus negotiis

imp̄misceant. Quamobrem, omnis sufficientia politiæ ecclesiasticaæ ab obseruatione mandatorum Dei, non à iure gladij, aut monarchia temporali, petenda est, Matthæi 28. *Euntes ergo, docete omnes gentes servare omnia quacumque mandavi vobis: & ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.*

Argumenta quæ huic sententiæ patrocinantur ad tria capita reuocabimus: quorum primum, exempla complectetur quæ Sanderus, Bellarminus, Cocqueus, atque alij, ex veteri testamento, sed ab ignorantie elenchi promūt. Quotusquisque nescit, longe diuersam esse rationem Synagogæ & Ecclesiæ, legis Mosaicæ atque Euangeli: illa enim territorium, & consequenter ius meti imperij habuit à Deo: quod nemo sanus de Ecclesia affirmauerit. Insuper accedit legem Euangelicam ad Mosaicā, immo verò ad quamcumque aliam politiam comparatam, legem esse vere regiam, mansuetudinis, & perfectissimæ libertatis; contra, Mosaicam esse durissimæ seruituris, Actorum 15. versu 10. & Galat. 4.

A hunc caput, auctoritates desumptas ex iure canonico nobis exhibet, quas D. Cardinalis Bellarminus laudat: p̄fessum caput 3. synodi Lateranensis: quo statuitur, Reges atque Principes, qui hereticos ex suis dominijs minime exterminarint, esse abdicandos. Sed respondeatur, isthæc & similia, nihil plus habere juris in Principes politicos, quam extravagante Bonifacij VIII. unam sanctam, vel constitutionem

Pauli

Pauli III. *cum ex Apostolatus officio*, quæ in directorio inquisitorum legitur: siquidē, decreta hæc, priuatim & proprio motu à Romanis Pōtificibus, non synodice, id est totius Ecclesiæ consensu, sancita fuerunt: itaque non obligat, quoniam Ecclesia canone, non absoluta potestate regitur, numero 5. & 8.

Tertio, absolute negatur Childerici Frācorū regis abdicationem, aut Imperij translationem ad Francos, sola Romanorum Pontificum auctoritate, absque populi consensu, auctoritate, aut postulatione factam: & quamquam facta fuisset, id parui esset momenti ad definitionem præsentis controversiæ, cum facti quam iuris quæstionem potius referet: sicut etiam exempla abdicationis Henrici III. Friderici II. atque aliorum Regum vel Imperatorum. De iure igitur, non de facto, dispergunt aduersarij: moribus enim & canonibus, non exemplis, Christianā tempUBLICAM gubernari voluit Dominus noster Iesus Christus.

Solutio reliquorum argumentorum, sine à sacra scriptura, sive aliunde ductorum, peti debet à doctissimo tractatu Magistri Ioannis Parisiensis, de potestate Regia & Papali.

Hac Ecclesia Catholica iudicio subiecta sunt.